



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

De Sancto Nicolao, Ex Milite Monacho.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

lando nunquam fatior. Ita recepto throno suo, cum B. aliquamdiu supervixisset ad Dominum profectus est.

ANNOTATIONES.

Summi quique Græcorum patrum hunc laudat Athletam Christi, & pontificem: Theodoretus Ecclesiast. hist. l. i. c. 7. Gregorius Presbyter. Orat. de patribus Concilii Nicæni. Nicephorus lib. 8. c. 14. Et Baronius Annal. 3. A. C. 316.

De notis, quas Christi vestigia appellant, iidem memorant.

DE SANCTO NICO- LAO, EX MILITE MONA- CHO.

Hic Nicephori imperio, conditione miles erat. Imperatore ergo expeditionem in Bulgaros adornante, & hic cum exercitu est profectus, ac circa solis occasum in cauponam publicam diuertit, & cum hospite cœnavit. Fufis (post cœnam de more) precibus, se ad somnum composuit, circaque secundam aut tertiam noctis vigiliam cauponis filia, telo cupidinis faucia, virum iustum pungere, & ad stuprum sollicitare cœpit. Sed vir sanctus ad eam: Apage, inquit, mulier, cum nefariis & tartareis tuis amoribus, nec virginitatis tuæ florem

corrumpe, nec me infelicem inquina, ne ambo in orci chaos præcipites agamur. Re-cessit ad momentum illa, & mox denuo molesta viro optimo fuit, quam ille graui-ter increpitam à se amandauit. Sed percita amoris æstro rebitauit ad eundem. Tum sanctus: infelix, inquit, & effrons impu- densque lamia, omnis oblita pudoris, ac cooperta flagitiis, non vides te à cacodæ- monibus agitari impelli-que, vt animam in exitium trahant tuam, virginitatem cor- rumpant, ac te omnibus, toti-que tuæ fa- milia ludibrio, dedecori-que & contume- lia prostituant? Non intelligis & me post- remissimum, nunc ad gentem barbaram, belli-que turbinem, Dei præsidio fretum, properare? & quomodo corpus inquinabo ad arma abiturus? Hæc & his plura cum di- xisset, illam abegit, cubitu-que surgens votis persolutis, viam est ingressus, sequenti-que nocte consopitus, videt se ad amæna quæ- dam tempe deductum, iuxtaque se princi- pem quendam, pede dextro supra sinistrum imposito, confidentem, à quo in hæc verba compellabatur. Vides vtriusque patris ex- ercitus? Næ ego, inquit, video Domine, Bulgaros à Romanis cædi. Et is qui appa- ruerat ad iustum. Ad nos, inquit, respice:
Spe-

Spectansque videt ab illo dextrum pedem in terram demitti, sinistrumque dextro imponi. Quo facto, respicit bonus rursus castra, cernitque Romanos ab hostibus atrociter mactari. Et cum tabernacula euersa essent, ille residens ad militem dixit: Perpende mihi diligenter tentoriorum demolitionem, & expone quid id sibi velit. Et cum oculis omnia obiisset, vidit totam illam terram cadaueribus oppletam, & in medio virentem vnus lectuli campum. Et domine, inquit, vniuersa terra caesis Romanorum corporibus oppleta est, praeter vnicum lectulum. Et is qui spectandum se terribilem militi obtulerat: Quid, inquit, hoc esse existimas? Et miles: Ego Domine idiota sum, necquid hoc sibi velit, intelligo. Et formidandus ille rursus: Vacuus ille campus qui vnus lectuli occupat spacium tuus est, in quo tibi oppetendum erat cum reliquo milite tuo, vt quod desiderabatur expleres. Sed quia, praeterita nocte, trigeminum serpentem, qui tertio expugnare & mactare te aggressus est, feliciter repulisti, ecce te ipsum tunc ex hac caede liberaisti, lectuli que vestem intemeratam custodisti, & salutem animae corporique tuo peperisti. Hac cum vidisset, attonitus ac tremebundus exper-

H s gisci.

giscitur, cumque surrexisset, se mox in preces dedit, & vnus diei itinere regressus montem conscendit, & pro exercitu Deum deprecatus est. Imperatore, Bulgariae claustra ingresso, Bulgari ad montem confugere, paucis, infra quindecim nempe præter propter millibus, relictis, quos & Romani cum deleuissent, stultè rem gesserunt, incautè enim per regionem diffusi, exercitum cum Imperatore casum amisere, Bulgariae quæ cædis prioris iacturam compensauere. Tum iustus hic memor nocturnæ visionis, gratiis Deo persolutis, inde flens, gemensque reuersus in cœnobium se contulit, sacraque indutus veste, Deo multis annis toto pectore deseruiit, atque in eximium patrem, rerumque religiosarum peritissimum magistrum euasit.

ANNOTATIONES.

DE Nicephori Imperatoris, qui Irenæ successit, in Bulgaros expeditione, clade, nece passim historici Græci: Zonaras in eius vita, Cedrenus, Glycas, Constantinus Manasses; Curopalates ab eius nece suam historiam auspicatur. Zonaras & Cedrenus aiunt ex eius nudato cranio poculum formatum, Bulgarumque proceribus à Crumo propinatum. Nec minus suis inuisus occubuit, quam Bulgaris, quin à domesticis interfectus scribitur

bitur in tabernaculo. Cæterum tam rara in milite castimonia singularem à numine merebatur custodelam. Hæc innocentia nempe merces est.

S. CONSTANTINVS EX IVDÆO CHRISTIA-

NVS.

HVic .: Synnada patria fuit, cuius parentes umbram legis coluere, nam Iudæi erant religione. Admodum adolescens cum matrem fortè (nescio quò euntem) sequeretur, vidit hominè Christianum, quidum in terræ scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cuius puer secutus exemplum, & ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraque tandè Christiana amplexus ardenti fide persecutus est, vnde vultus illi mirum in modum radiare, & ipse diuinitus mysteria religionis edoceri cœpit, multosque dies absque alimento corporis vllò traduxit. Cum puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) inuaderet, illam signo crucis repente exanimavit, rursusque postea in vitam reuocavit. Nube porro quadam diuina quasi ducente ad animarum curandarum officinam seu cœnobium, quod Phubutium appellat.

Synnada.

** per crucē
Iudæi quo-
que serua-
tus à demo-
nū incur-
sione et ad
Christum
conuersus.
Greg. lib. 3.
cap. 7.*